DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

ANIMI AUXILIO

AD MORBOS PRÆCAVENDOS AUT SANANDOS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
ANIMI AUXILIO
AD MORBOS PRÆCAVENDOS AUT SANANDOS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID MACLOUGHLIN,

CANADENSIS,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINBURGENÆ
SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

———— *Intus et in jecore ægro*
Nascuntur domini. ————

Persii Satyra v. ver. 129.

VIII. Kalendarum Julii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.
MDCCCX.

CARISSIMO SUO AMICO,

JACOBO FISHER, M. D.

SUMMA COMITATE ET BENEVOLENTIA EXORNATO,

QUI PRIMUS MEDENDI SCIENTIA SUAM MENTEM INSTITUIT,

ET MAXIMA OPERA ET BENIGNITATE

JUCUNDA MEDICINÆ NOVA STUDIA REDDIDIT,

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO BENEFICIORUM MEMORI,

D. D. C.QUE

ALUMNUS.

AVO SUO,

VIRO OPTIMO ET SPECTATISSIMO,

MALCOLMO FRASER, ARMIGERO,

DE MOUNT MURRAY, IN CANADA,

ANIMI INTEGRITATE, MORUM SUAVITATE,

ALIISQUE VIRTUTIBUS, QUÆ GENUS HUMANUM ORNANT,

IMPRIMIS INSIGNI,

PROPTER MULTA BENEFICIA IN SE SUOSQUE COLLATA,

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO GRATISSIMO PERMOTUS,

DEDICAT

AUCTOR.

ALEXANDRO FRASER, ARMIGERO,

DE RIVIERE DU LOUP,

NECNON

SIMON FRASER, M. D.

AVUNCULIS ET AMICIS,

PRÆ BENEFICIIS PERMULTIS ACCEPTIS,

QUORUM IMO PECTORE MEMORIA VIGET,

HOC OPUSCULUM

SACRAT

AUCTOR.

JOANNI MACLOUGHLIN,

ARMIGERO,

FRATRI SUO CARO,

ET AMICO AMANTISSIMO,

HÆC SACRA VULT

FRATER.

To

Doctor John Thomson

with respects, from the

Author.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

ANIMI AUXILIO

AD MORBOS PRÆCAVENDOS AUT SANANDOS.

ANIMI motuum effectus in corpus argumento sane summi momenti, et paulo difficiliori indagatu existunt: magni momenti, quippe ex quo scientia medendi, magna saltem ex parte, nititur; difficillimo, quia quæstio de mentis natura adhuc elusit, et fortasse in perpetuum eludet acerrima philosophorum ingenia. Quæ aut qualis mens sit fere penitus ignoramus. Quasdam certas actiones conspicimus excitatas in corpore, per aliquid quod mentem appellamus;

nihil autem fere ultra intelligimus. Antiqui philosophi summa opera hanc rem perscrutati sunt, et ingeniose, erudite, et subtiliter excoluerunt; hæc omnia, tamen, jamdiu ut inepta obsoleverunt: qui nisi fines constitutos naturæ transilire conati essent; et si intra idoneos limites istam disciplinam rationalem coërcuissent, humani generis utilitati certe magis consuluissent.

Nolo de variis rationibus loqui quæ scriptis mandatæ sunt de mente et ejus sede, quia tales quæstiones non erunt utiles ad hujus dissertationis argumentum expediendum. Quibusdam placeret, sed nihil prodesset illud facere.

Consilium est nobis, primo, varios animi affectus paucis describere.

Dein quantum valeant ad morbos gignendos, augendos, aut mutandos exponere; his ordine memorandis ex Nosologia Cullen.

CAP. I.

DE ANIMI AFFECTIBUS.

Animi affectus duplicis sunt generis, nempe, qui excitant et qui sedant corpus*; incipiendum ex iis qui excitant.

Gaudium modicum cordis et arteriarum motum intendit, et calorem et sudorem per totum corpus elicit. Si ultra modum augeatur, facit ut lachrymæ profundantur, et totum corpus exagitetur cum magna hilaritate: et diuturnum, ut fastidium cibi, vomi-

* Haller. Elementa Physiologiæ.

" Love, hope, and joy, fair pleasure's smiling train,
" Hate, fear, and grief, the family of pain."
Pope's Essay on Man.

tus, febris, defectio animæ, mania, imo etiam mors ipsa, accederent*. Quanquam subitum et vehemens hos graves effectus edit, ubi corporis vires resolvuntur; si tamen caute adhibeatur, in adversa valetudine maxime juvare potest: ut in mollitie ossium infantum, propria titillatio lenis quæ animum jucunde ciet, et arterias concitat, admodum prodest†.

In vulneribus præcipue pectoris, in podagra, rheumatismo, ulceribus, et cæteris, gaudium est summi commodi. In primo ex his, efficiendo ut pus, sanguis, &c. e parte affecta profundatur‡; in podagra et rheumatismo, fortasse a malis urgentibus animi studium abstrahendo; in ulceribus, sanguinis circuitu et vitæ viribus augendis.

Antiqui medici, quantum gaudium in morbis auxiliatur, haud ignorabant. Galen di-

---

* Nichols. † Russel on Scrofula. Tissot des Passions.
‡ Ambroise Paré.

xit, ægros celerius sanatos esse jocis, quam medicamentis. Hippocrates etiam opinatur, gaudium multum valere in omni genere adversæ valetudinis. Gaudium mortem ipsam distulit, homine antea jamjam emorituro. Voltaire hujus unicum exemplum memoravit in ejus opere; et etiam Tissot des Passions; quæ vide.

Amor.—Hic affectus quodammodo gaudium refert; animi et corporis vires intendit; facit ut cutis caleat et rubeat; sanguinis circuitum excitat, et arteriarum pulsum intendit. Si vero vehementior sit, hæc omnia augentur; febris, palpitatio, ardor, morbus comitialis, hysteria, febris hectica, mania, et ipsa miserabilis melancholia superveniunt*. Si non diu permaneat, neque tam urgeat ut hos morbos excitet, non solum corpus magnopere adjuvat, musculos roborando et ciendo, et ut fatigatio, fames, et sitis facillime sustine-

* Haller. Elementa Physiologiæ.

antur efficiendo, sed etiam febres intermittentes sanavit.

Cupido rei alicujus, si præsertim spes felicis eventus accederet, idem fere quod amor præstat, nimirum arteriarum motum incitat, et halitum per cutem expedit; podagram, resolutionem nervorum, et cætera levat; et corpus ad actiones vehementes, imo multo majores quam quas sustinere posse videatur, impellit, et etiam mortem distulit.

Si nulla eventus boni spes sit, distentio nervorum, cordis et arteriarum aneurismi, aliique morbi accedunt *.

Ira.—A scriptoribus omnibus, ira animi motus periculissimus esse comperta fuit; simul animi et corporis vires omnes admodum intendit; et gravior an levior sit, plus minusve periculi semper habet. E cæteris omnibus

* Haller. Elementa Physiologiæ.

discrepat; fortis et durus fit pulsus; vultus et oculi rubent, (quasi flammam jacularentur); perturbatur animus; tremunt et intenduntur musculi corporis, quæ generis nervosi turbas graviores indicant. Quæ si non inveniuntur, facies pallet, scilicet, cor sanguinem vi solita non emittit; vox debilior; oculi in orbitis subsidunt; musculi faciei intenduntur; urgent anxietas circa præcordia, et magna debilitas, quas mors ipsa sæpe excipit. Non solum in hoc gradu, sed etiam ubi omnes animi et corporis vires excitantur, vitæ flamma gravis videtur; id quod imbecillitas comitans testatur. In hoc sæpe vomitus, profusio alvi, vox debilis aut nulla, *ecchymosis*, profluvium sanguinis, distentio cordis, inflammatio, sanguinis e naribus cursus, cicatrices ruptæ, resolutio nervorum, morbus comitialis, apoplexia, et non raro mors ipsa accedunt.

Haller, aliquando iram vehementiorem utilem esse, in podagra, resolutione nervorum, animi ægritudine, rheumatismo, et etiam ad

vitam aliquandiu producendam, notat. Sed tales effectus rarissime enascuntur, nec auctoritas satis iram incitatam hæc levare edocuit, quoniam effectus salutares summo cum periculo petemus.

Ira potissimum in humoribus e sanguine secretis agit. Lac ineptum ad infantis nutrimentum facit, menstrua impedit, et etiam sputum auget.

Spes.—Animi motus nullus fere ægro æque atque spes opitulatur si caute adhibeatur: de morbi eventu ultimo fiducia ægrum erigit; et quanquam medicus morbum infaustum habeat, in omni adversa valetudine utilissima est. Hinc empirici interdum adeo bene morbis medentur, et ad salutem eos reducunt, quorum morbi medicorum conatibus non cesserunt, scilicet quia ægrorum animos spe accendunt: hinc iidem multos gravibus et periculosis morbis implicitos ad salutem reduxerunt, de quibus medici desperaverant;

etsi medicamentis nulla virtute præditis usi sunt, postquam medici omnia remedia quæ spem afferre solent frustra adhibuerant.

Spes sanguinis circuitum, musculorum vim, cibi cupiditatem et concoctionem expedit.

Nunc de animi motibus vires vitæ opprimentibus paucis loquemur.

Timor.—Quantumcunque discriminis alii animi motus inferant, multo tamen periculosior est timor; in levissima adversa valetudine et periculosissimo morbo timoris vis æque manifesta est. Etiam ubi nullus morbus adest, corpus aptissimum ad ægrotationem facit; id quod in contagione videtur: oritur ex metu, quod in valetudinario ægrotos insanabiles videamus, qui inde remoti semper levantur, et aliquando convalescunt; hinc etiam tot homines in iis locis moriuntur, quibus alias lenissimus morbus fuisset. In utendis instrumentis *chirurgicis* multa ex metu mala

oriuntur : ubi his utendum est, chirurgus caveat ne ægrum hoc antea dicto metu percutiat; hinc enim sæpe felix exitus pendet. Si tandem instrumenta adhibenda sunt, ne ægri oculis pateant chirurgum celare quam maxime oportet; quia haud raro deliquium animæ, ni fallor, aut mors ipsa, inde oriuntur. *Tissot* dicit, se plerumque testatum esse mortem, arteriis dure exiliterque micantibus, consequi *operationem:* et opinor istam notam infaustam esse fere in omnibus hujusmodi exemplis.

Metus plerumque vim cordis arteriarumque imminuit: pulsus fit parvus, durus, et abnormis, ac interdum sanguis ab vasis hiantibus fluere cessat; vultus pallescit; musculi rigescunt; comæ se erigunt inhorrescuntque pili; oculi huc illuc incertes volvuntur; breviter et frequente suspirio æger spirat; sensus angustiæ præcordia premit; perculsus terrore homo tremit; in aliis sphinctres resolvuntur, in aliis contrahuntur; sudores manant frigidi; homo di-

lirat; apoplexia accedit; caligo, morbus comitialis, hysteria, palpitatio, tabes, et quidem mors in nonnullis consequuntur.

Ubi hæc non inveniuntur, secernenda maxime afficiuntur. Lac, ut ex ira, ineptum fit infanti nutriendo; menses reprimuntur; exhalatio e cute fere diminuitur; si augeatur, frigida, glutinosa, et copiosa est; simul concoctio ciborum depravatur; fastidium cibi et alia *dyspepsiæ* symptomata urgent; amplificantur venæ *hæmorrhoidales;* scirrhi lenti incitantur; hernia strangulatur; *metastases* efflorescentiarum fiunt; et sanguinis profusio ab utero, abortus, et cætera, inter metus eventus recensentur.

Sanguinis profusio e naribus timore coërcetur; tamen medicus eo caute uti debet, quia si effectus felix non consequatur, medicus ludibrio fiet, et, quod pejus est, alii periculosissimi morbi gignuntur, etsi habemus exempla ubi metus cum fructu a medico magni

nominis, vidilicet Boerhaave, adhibebatur: neque tamen eo minus nocet; et bonus exitus ad fortunam magis quam experientiam sanam referri potest.

Mœror magna ex parte metui similis est; cordis et arteriarum vim minuit; halitum præcipue e cute naturalem reprimit, et etiam lac et sanguinis profusionem ab utero; si gravior, pallorem vultus, hydropem, scirrhos, icterum* et animi et corporis debilitatem excitat. Etsi diuturnus, fastidium cibi, vigiliam, languorem animorum omnes voluptates et hilaritatem recusantem, *melancholiam*, imbecillitatem, typhum, strangulationem, abortum, caliginem, gangrænam, et mortem gignit.

Ab antiquis chirurgis, mœror nocentissimus in omnibus vulneribus præcipue capitis et pectoris esse observatur. Andre de la Croix, animo ægri attentionem dedit acerrimam in

---

* Sanctorius. Cullen.

iis injuriis; et celeberrimus Le Dran * idem sentit. Mœroris vis ad sputi profusionem et argenti vivi actionem reprimendas bene notata est; alius mœroris effectus non profecto utilis medico, sed tamen memoratu dignus est, quod crines eodem canescunt. Medicus scit morbos fieri graviores quando ægri suum periculum cognoscant, aut cum de eventu mali certiores fiunt.

Misericordia et Pudor.—Hi affectus notabantur a Doctore Falconer mœrori similes esse; illa solum a mœrore differt, quod aliquid benevolentiæ amorisque habeat, et lachrymas citius excitet. Hic tamen multo magis valet; ad extrema vasa sanguinem evocat, præcipue in facie. Haller putat id referri posse ad ejus venas constrictas, quia aliquæ ex venis ruptæ fuisse dictæ sunt. Erubescentia verecundia nata, non mente conscia culpæ, aut metu accedente orta, videtur nihil

* Observation de Chirurg. tom. i.

valere aut ad ciendos aut ad sanandos morbos, quanquam aliqui eam aptissimam ad excitandam inflammationem putaverunt; sed adhuc exempla desunt, quæ hoc plane docerent.

Fastidium et Aversatio.—Quædam visu gustuve percepta interdum graves effectus edunt; quales sunt dolor circa ventriculum, vomitus, profusio alvi, defectio animæ, mors; quæ omnia plus minusve urgebant, pro generis nervosi mobilitate et irritabilitate; etiam prout res ipsæ sensibus, plus minusve graves sunt. Hi animi motus utilissimi sunt, ad aliquos morbos levandos, scilicet, qui a morbo ægri studium subtrahunt; tamen maxima prudentia necessaria est in his utendis ne morbos potius intenderent quam levarent.

Invidia et Zelotypia.—Effectus invidiæ paulum dissimiles iræ et mœroris sunt, ex quibus profecto constituitur: fertur tamen augere fellis secretionem: altera ex timore et ira con-

ficitur; et effectus ejus variabunt, prout magis invaleant timor aut ira. Vis qua zelotypia gaudet spasmo fistulas fellis constringendi, et fel sanguine miscendi notatu digna est.

Ex iis quæ de animi vi scripsimus in morbis, evidentissimum est quantum periculi ejus motus mitissimi habent: si periculum tantum est, quo studio opus sit adhibere aliquem eorum in adversa valetudine facile constat; medico nihil fere tantum difficultatis aut utilitatis præbet: hæc notitia adeptu difficillima est, quia ex præceptoribus aut libris, quomodo agere debeat, non doceri potest: ipsi se docendum est; ex observatione diligentissima ægro assidens intelliget quod verba describere nequeunt: hoc ei utilissimum erit, quia sic idonea arte et studio multo magis quam omnibus aliis remediis valere potest: et his rite admotis, potissimum ab *empirico* differt, qui iisdem remediis in omni adversæ valetudinis genere utitur.

CAP. II.

Venio nunc ad secundam partem propositi; et eam, quam brevissime et luculentissime potero tractare, conabor. Ad hunc finem, sequar Nosologiam Cullen, solum iis morbis qui aut levantur aut augentur motibus animi notatis.

Pyrexiæ.—Animi motuum in adversa valetudine incommoda et utilitates in hac classe bene illustrantur, non solum morbis ejusdem incitandis, sed etiam sanandis. Si exemplum dare vellem, proferrem metum, aut aliquos vehementes animi motus, qui sanaverunt febres, quæ omnibus medicamentis restiterant. Rationem dare qua hi corpus impellunt; an, motu vehementi quo idem convellunt, mutant habitum

ejus a quibusdam actionibus comparatum, aut, quod verisimilius est, animi attentionem ad præsentem necessitatem attrahunt, inutile foret et inane. Rem ipsam novimus, qua utendum est ad febricitantis utilitatem.

Febres Intermittentes.—De febribus intermittentibus omnes fere scriptores, animi vim in hoc morbo levando, cæteris remediis parum valentibus, notaverunt. Aliqui e medicis antiquis, ope animi motuum in morbis medendis, imperite ad medicamenta faustas curationes potius retulerunt, quæ nunc nullius virtutis esse novimus in febribus sanandis, nisi metum, fastidium, &c. excitando. Qualia sunt *araneæ* ingurgitatæ vivæ, *ellychnia* adusta, *lacertus* ex collo dependens, &c. adhibita, quasi incantamento prodessent; cujus rei actio in animum morbum sanasset, etiamsi remedia jam dicta defuissent: imo etiam nunc temporis ista superstitio et credulitas mire invaluerunt, etiam apud homines culti, ut videtur, ingenii, quod eos expulisse debu-

isset. Sanationes factas his remediis narrare inutile sit. Quicunque in libris medicorum versatur, inveniet multa hujus rei testimonia: quomodo hæ sanationes factæ essent, explicitu difficile est; an spem salutis dando, quæ animos erigit, et vi et firmitate corpus impertitur, quod ita fit aptissimum debilitati evertendæ, ad quam jure accessionem recidivam referamus; an animi attentionem abstrahendo, aut incitantium exterorum actionem impediendo. Utraque opinio invaluit, sed sub judice lis est*.

Celsus† necesse esse dicit, animi motus qui sanaverunt post sanationem perfectam aliquandiu adhibere; quoniam consuetudinis vis talis est, ut post longum intervallum, et morbo jam sanato, remedia citius semota reditui morbi favere solent. Fortasse generis nervosi resolutio, quæ accessionem subito quiescentem sequitur, ægrum ad ejusdem reditum pro-

* Falconer on the Passions. † Liber iii. cap. xvi.

eliviorem faciet. Hoc necessitatem adhibendi corticem Peruvianum in febribus intermittentibus docet, maxima spe boni exitus, qua corpus et mentem firmabit.

Typhus.—Vis, quam metus habet corpus contagioni opportunius reddendi, notata fuit. Creditur nocere corpori, imbecillius et irritabilius efficiendo, adeo ut aptius contagioni accipiendæ fiat.

In typho, uti in aliis morbis quos animi motus urgent aut excitant, idem etiam aliqua ex parte præsidio existit. Anxietas et imbecillitas mentis et corporis, hujus morbi propriæ, levantur animum concitando et exhilarando; id quod non solum mentem ab ærumnis contemplandis abstrahet, sed etiam proficiet incitando actiones salutares in corpore, et faciendo ut vi jacente erecta metus instans præcaveatur. Cullen et Boerhaave, his probe cognitis, ægros elevari præceperunt spe salutis redituræ, et morbi haud vitæ gra-

vis, mente levibus negotiis excitata, quaque causa timoris sublata, scilicet, funeribus* necessariorum†, celatis, et quæ his similia sunt. In hac febre, ut in febribus intermittentibus, remedia adhibita sunt ad præcavendum et sanandum morbum, quæ nullas virtutes habent, et quæ, non nisi fiducia qua febrientes iis nituntur, juvant.

Incolæ terrarum, quibus morbi grassantur pestilentes, auxiliis multis ad mala prævertenda utuntur, vel *amuletis* vel remediis internis; et concedere oportet febricitantibus quicquid velint auxilii ad morbum prævertendum, sive incantamentum, sive medicamentum, dummodo haud nociturum sit, et ipsi fiducia ejus virium erigantur‡.

Typhus Mitior.—Febris lenta, nervosa, et

---

* Boileau "Pour honorer les morts font mourir les vi-"vans."

† Cullen's First Lines. Huxham, on Fevers.

‡ Cullen's First Lines.

typhus mitior Culleni, bono exemplo existit vis animi in morbis sanandis; imo, hæc adeo manifesta est, ut antiqui longe nobis præstiterint in hac re: inspectis eorum scriptis, plenissimam rationem inveniemus auxiliorum quorum spe mentem quietam servarunt.

Aretæus fuse de hoc scripsit, et præcepit cubiculum, stragula, lectum, aëra, summo studio idonea esse servanda. Jubet etiam febricitantem ruri esse, ut prata, flumina, rivi, et florum odores animos reficiant, vires firmarent, et cibi et potionis cupiditatem conciliarent. Si hoc non licet, monet cubiculum floribus spargi; adeo ut ruris jucunditas et verna tempestas quodammodo simulentur; quinetiam ramos plantarum odores dulces halantium in cubiculo agitari jubet, ut perflatu leni et grato febriens reficiatur. Cælius Aurelianus, scriptor parum comptus, eadem fere sed multo fusius memoravit, et jussit; scilicet, cubiculum non frequentia hominum implendum, quippe quæ ægrum turbat, et aëra cale-

facit et corrumpit; idem etiam perflatum fenestris apertis accipere debere: cætera Aretæo convenit; stragulorum institutionem prætermittit; notat lectum molliorem et duriorem nocere; illum hebetando, hunc fatigando corpus et animum. Ex his et vini libero usu, antiqui eorum sanandi spem instruebant; quæ curatio non multum inde mutata est. Aretæus indicia profert, quibus cognoscere vinum jam agere cœpisse possumus; et Aurelianus agendi rationem dedit. Alii scriptores auctoritate Aretæi freti opium frequentissime et libentissime adhiberi suadent; quod utile est: sed minus quam ut vini vice fungatur. Neque opium, neque ex eo præparata gaudent magna vi putredini obstandi, aut ulla potestate corporis humores mutandi; et si tales dotes haberet, quantitas assumpta nimis tenuis est, ut hæc præstaret.

Finis cui hæc adhibentur, est ægrum contra animi debilitatem sustinere, quæ semper typhum mitiorem comitatur; quæ adeo mani-

festa est, ut scriptores de typho nullas de hac re leges protulerunt: sed ii qui subtilissimam descriptionem de ejus ortu atque progressu dederunt, quanquam animi oppressionem notabant, tamen non meminerunt quomodo hæc levetur. Nunc ad dissertationem ingeniosissimam Doctoris Huxham specto, qui signorum, ordine quo oriuntur, accuratissimam descriptionem fecit. Buchan unicus, ni fallor, animi resolutionem et remedia quæ desiderat, paulo fusius memoravit *.

Phrenitis.—Omnes scriptores medici, veteres et recentiores, de noxis excitantibus et curatione hujus morbi satis lucide disputarunt; neque animi statum præterierunt, sed multa auxilia protulerunt quæ eundem turbatum sedarent. Quies omnibus modis est paranda: lux, soni, et quæcunque sensus irritent, quantum fieri potest, tollenda: oportet

* Vide Domestic Medicine, et Medical Reports, vol. i. p. 17. et sequen.

interessent subinde amici et necessarii, qui blando sermone ægroti pectora mulcerent, aut quos ægri magni æstimare et venerari solent; neque vero diutius commorandum, ne consuetudine, quæ ut omnia incitamenta minus valeant efficit, jucunditas animi hinc orta cessaret *.

Cælius Aurelianus imperat radios e lucerna in ægri faciem incidere, qui scilicet mentem delirantem figant; quod tamen auxilium diuturnum, meo judicio, turbas animi potius accenderet quam sedaret.

Inflammatione jam tandem levata, nihil opus est nisi animum a suis erroribus abstrahere, omnibus rationibus quæ non ipsi ægrotanti graviores nixus mentis corporisve desiderant, utriusque tranquillitate semper quam maxime conciliata.

---

* Falconer on the Passions. Cogan, Philosophical Treatise on the Passions.

Hepatitis.—Nullus dubito quin vehementiores animi motus sæpe jecinoris inflammationem gignant; neque vero auctores, ut opinor, impulsum animi in eadem acuta aut longa inferenda vel augenda satis notarunt. Cullen et Clarke motum animi graviorem inter causas remotas recensuerunt: mihimet persuadetur hoc malum, ubi e nulla alia manifesta noxa profectum esse videtur, sæpe animo exagitato præter solitum ira, mœrore, &c. supervenire. Si vero aliunde exortum fuerit, noxa sublata, non cedit, si mens graviter turbetur: aspera, suspicax, irritabilis inimicitias vanas sibi fingit; id quod nequit non inflammationem intendere. Oportet igitur medicus idoneis auxiliis, comitate, et morum suavitate istam animi asperitatem emolliat.

Rheumatismus.—In nullo fere valetudinis genere vis animi magis elucet quam in rheumatismo, in quo sane præpollet: quippe dolores hujus morbi acerbissimi, omnes corporis functiones graviter læsæ, auxiliis nulla om-

nino vi præditis, nisi animum afficiendi, sæpe salute mutantur. E quibus prælucet illud cui nomen *Metallic Tractors*, quod certe dolores nullis remediis, quæ ars medendi pollicetur, cessuros lenivit et sustulit *.

Olim pleraque adhibita in hujus mali diros cruciatus, certe non nisi spem sanitatis rediture menti incutiendo valuerunt. Vulgus impotens ratiocinandi, novitatis et obscuri cujusvis avidum, mirum in modum istiusmodi remediis animo afficitur: hinc exempla ista miranda, quibus scatent antiquorum scripta valetudinis pessimæ ineptis, ut videtur, remediis in sanitatem abeuntis.

Odontalgia.—Res est inter vulgus notissima, hunc acerbissimum cruciatum, timore quoquomodo excitato, evanescere; quem in finem pleraque artificia populus moliri solet. Quemcunque torsit hic dolor, novit quantum leva-

* Haygarth on Fictitious Tractors.

minis attulit pavor, quem ferramenta conspecta cieverunt: totum corpus illico tremit, et homo dolore expeditur, nimirum corde et arteriis imbecille micantibus; incitatio et inflammatio læsæ partis imminuuntur: paulo post vero formidine cessante, cruciatus redit, et fere viribus redintegratis; neque tamen exempla desunt ejusdem non omnino redeuntis, ni nova noxa admota accenderit.

Hoc vero auxilium parvi habendum est; quippe quod nunquam diuturnum esse potest. *Empirici* optimo exitu timore usi sunt, et rationibus, quos non decet memorare, excitarunt.

Podagra.—Hujus morbi accessiones primo aliunde illatas animi motus reducere posse inter omnes constat. Quidam ex his excitati accessiones jam urgentes aut penitus solvunt, aut intendunt et producunt: neque tamen prudentem medicum oportet auxiliis tam in-

certis uti, ne *occidisse, nisi servasset, videatur.* Hildanus meminit quendam velatum, ut spectri formam sua repræsentaret, humeris e lecto tulisse arthriticum gravissime tortum, et ad imum scalarum deposuisse. Æger ante pede captus, nunc terribili spectro expeditus, summa formidine agitatus, quam celerrime cubiculum expetiit: extemplo morbo liberatus, integer multos postea annos vixit, quanquam antea sæpe gravissimas perpessus erat accessiones. Van Swieten memoravit arthriticum, qui quadraginta annos ægrotaverat, tandem convaluisse præ timore, ne, lege violata, pœnas debitas lueret.

Podagram, dignum memoratu! multos sibi facessere volentes, præsertim in Britannia, ubi expetenda habetur: et quandam præ se ferre dignitatem existimatur: et profecto inter omnes gentes orbis terrarum aliquis morbus in honore habetur; alias vitia testium, *perinaei,* &c. et gaudio æstimatur hæc accedentia hominem quasi vulgo præponere. Quod ad

morbum propositum, multi eandem fovent, et eliciunt omnibus rationibus; et si natura minus proclives forent, etiam, ea aversante, sæpe consilium ineptum exequuntur. Multa medicamenta inutilia et incantamenta apud majores credulos ad hujus morbi curationem invaluerunt *.

Exanthemata. — Ad singulos fere morbos huic ordine subjectos, inferendos, augendos, aut sanandos animi motus quodammodo valent. At vero, quia multo minus his quam supra memoratis morbis animus imperat, hoc ordine prætermisso, ad proximum transeundum.

Hæmorrhagiæ.—Hic vero animus longe potentior est. Æmuli Stahl celebris *iaspidem* et *hæmatitem* ad sanguinis profluvia continenda admoverunt; quæ certe non juvant nisi

* Vide Trallianum, Lib. xi. c. i.

animum turbatum et pavidum sedando et confirmando.

Timor perinsigni vi sanguinis profusionis reprimendæ pollet, et eodem veteres et recentiores multum sunt usi: hi vero, non nisi veteris remediis nil proficientibus ad hoc confugere solent; ne, exitu infelici, ludibrio fierent.

Aqua frigida corpori ex improviso affusa duplici ratione prodest; terrendo scilicet, et vasa summæ cutis constringendo, sanguinem intus repellit; fœminis autem delicatioribus, imo viris quibusdum, eadem sæpe nocebit.

Ferrum frigidum, ut clavis, cervici admotum, in *epistaxi* eodem spectat; etiam brachia et crura ligata; quod auxilium etiam est utile, quia sanguinis reditum ad cor dextrum impedit.

Multum noxæ moliti sunt medici qui operam contulerunt aut ad animos erigendos aut

sedandos, in hoc genere morborum. Hinc oportet non minus animum certæ salutis spe fovere, sed potius aliquid metus et dubii incutere: id quod maxime servandum est in *haemoptysi*, ut vis cordis et arteriarum sedetur, et hæ tardius micent. Nil profecto fiducia pejus; incitat enim cor et vasa, eoque sanguinis profusionem intendit, et vetat ne æger idoneis auxiliis utatur.

Quod ad menstrua, cavendum est, ne animo fœminæ graviter exagitato, plurimum noxæ inferamus; quæ scilicet maxime hac ipsa causa reprimantur. Idem jure de *hæmorrhoïde* apud viros dici potest.

Abortus.—Optime etiam inter vulgus innotescit, aliquem graviorem animi motum, ut partus elidatur facturum, potissimum vero timorem et iram: neque veteres hoc ignorarunt, et subtiliter, sed parum accurate, de ejus ratione disputarunt. Nonnullis placuit hoc ad proprium generis nervosi statum referre; quod

mulieri in utero gerenti solito magis sensile esse existimant: aliis, ad vim cordis et arteriarum intentam, ramulis extremis simul spasmo constrictis, et corpore intremente. Hæ rationes, ni fallor, minime satis rem propositam expediunt; neque lux hodiernæ scientiæ omnino tenebras, quæ eam obscurant, fugavit. Vix aut ne vix equidem sperare licet corporis vivi actiones unquam eo usque intellectum iri, ut hæcce perdifficilis quæstio penitus resolveretur.

Apoplexia. — Vehementes animi affectus, ira *, timor †, &c. inter noxas quæ apoplexiam excitant, recenseri consuerunt. Affectus incitantes eandem potissimum ciebunt in corpore pleniore capite amplo, et cervice breviore instructo; et quæ *sanguinea* vocatur. Sedantes vero, quæ *serosa* appellatur, et in corpore tenui et imbecillo: hoc genus apoplexiæ interdum e motibus incitantibus exoritur, ni-

* Cullen's First Lines. † Van Swieten.

mirum debilitati et resolutioni semper insolitam incitationem consequentibus tribuendum.

Syncope.—Omnes vero mentis affectiones, cujuscunque generis, ut anima deficiat facere possunt, præsertim quæ sedant: quod si ex affectibus alterius generis syncope profecta fuerit, longe gravius fit vitæ discrimen. Gaudium aut ira immodica hanc cito in mortem desituram genuerunt, corde aut vasis magnis diruptis, maximeque iisdem quovis vitio antea imbecillis.

Ubi semel hic morbus acciderit, præ timore ejus recidivi facillime redibit: apud fœminas quam minima mentis molestia ex causis parum æquis ut repetat efficiet; et vis consuetudinis in nullo fere morbo magis enitet.

Si quibus ex hujusmodi causis crebra syncope eveniret, oportebit quam maxime animum ab omni cura distrahere, conviviis, concentibus, loci et cœli mutatione, et varia, et soluta

vivendi ratione, &c. Hæc plerumque respondent, animos erigendo et firmando, et spe alicujus boni expetendi fovendo. Hallerus scriptis mandavit, exemplum syncopes, ægro ipso sua voluntate renitente, sublatæ: et haud raro fit hominem suo arbitrio eandem differre posse, si cui in loco præcipiti subesset, nullo qui auxilietur præsente.

Hypochondriasis.—In omnibus morbis qui proprie ad genus nervosum male se habens referuntur, mens præpollet; et medici antiqui quam plurima eorundem remedia quasi incantamenta scriptis mandarunt, quæ jamdiu obsoleverunt. Empiricis hi morbi amplissimo campo patent, qui multa hujusmodi remedia, neque, infelici exitu, adhibuerunt: semper enim summam sanitatis inde restituendæ fiduciam præ se ferunt, quam facile cum ægrotantis animo communicant: hinc nil mirum, si sæpe, omisso mortis timore, salutem reducerent, medicis rationibus nihil omnino valentibus.

Medici docti et artis salutiferæ experti

neque hisce incantamentis, neque tamen prorsus medicamentis fidunt, sed animum fontem malorum curant. Hic vero cavendum, ne aut majoris aut minoris æquo mala ægrotantis medicus existimare videatur: hoc enim crudele et indignum est medico, cujus præcipuum est munus miseriis et ærumnis succurrere: illud vero parum prudentis est; spem enim pectori ægroti extinguit, eoque nequit non, ut malum ingravescat, efficere. Maximi interest ut æger summam fidem medico habeat: quem in fidem, hunc oportet idoneo studio et misericordia illius fidem et benevolentiam conciliare: quo facto, blando sermone ei persuadendum viro forti indignum esse ærumnis succumbere, quæ plus minusve toti hominum generi contingunt; et potius renitendum, quam molliter conquerendum esse. Lepos et joci tempestive adhibiti haud parum juvabunt. Ne animus se solicitudine rodat, intersint amici et familiares: æger negotiis se committat, locum mutet*, venetur, naviget, ludat, sed citra

---

* Celsus.

fatigationem *. Equitatio proderit: hæc auxilia pro corporum proprietatibus, ætate, sexu, &c. plus minusve sunt utenda.

Chlorosis. — Una species hujus morbi, cui nomen *chlorosis virginea* apud Sauvages, et *chlorosis amotoria* Cullen, maxime animo agitato nititur. Nulla vero lex certa aut perpetua hic medicum regere potest; quo sagace et prudente opus est.

Epilepsia.—Epilepsia semper plurimum habitu mentis inniti fuit habita; quo nunc inferri, nunc sanari possit †. Omnes affectus vehementiores hunc morbum progenuerunt: idquod memoratu dignissimum est, subito ex alio alium petit, quasi pestilentia, nulli noxæ excitanti subjectum, nisi quod hominem distentionibus tortum viderat; hoc epilepsiæ et alterius morbi mox narrandi proprium est; eoque Romani veteres illam *morbum comitialem* nominare

* Falconer on the Passions. Tissot.

† Van Swieten, vol. iii. p. 414.

solebant. Exemplum hujusmodi perinsigne Parisiis anno MDCCLXXX accidit*. Impuberes quinquaginta vel sexaginta ex domo fœminis religiosis sacra ecclesiam profectæ, semihora omnes convellebantur; idque ex nulla causa nisi quod adesset convulsionibus luctans. Ubi morbus semel accesserit, levissima causa revocabit, si animo præbeat memoriam primæ mali originis: proinde ex infantibus jam dictis ad ecclesiam redeuntibus multi in morbum reciderunt. Van Swieten similia habet exempla: et Cullen vetans memoriam mali foveri plane idem sensit.

Inducor ut crederem ægrum, dummodo renitatur animi voluntate, sæpe accessiones, quas plerumque quædam signa antea denunciant, præcavere posse: neque tamen semper animo habere debet præsidia et remedia utenda, si morbus accederet; sed *aura epileptica*

* Rapport des Commissaires, chargés par le Roi de l'examen du Magnetisme Animal. Vide etiam Medical Transactions, vol. iii. p. 124.

superveniente, se movere et exercere, et in præcipitem locum recipere; ut isto animi et corporis molimine quod se salvum præstaret, morbum exueret: et notissimum est inter hæc aliquem raro convelli.

Magna multitudine remediorum in hac, uti in aliis hujusmodi morbis, usi sunt antiqui, quæ solum profuerunt, animum impellendo et terrendo; qualia sunt sanguis tepidus gladiatoris jam animum expirantis *, jecur humanum; quæ animi studium a morbo abstrahunt.

Hysteria.—Quæ de epilepsia disserui, pari fere jure ad hysteriam pertinent: animus hic præter solitum varius, admodum irritabilis, et pervicax est, adeo ut levior ejus motus ita se habentis ad accessiones inferendas valeat. Vita ignava et iners, quam agere solent hystericæ,

* Celsus, Liber iii. chap. xxiii.

multum has intendit; idque eadem prorsus ratione, qua in epilepsia.

Hinc constat ægram talibus studiis et negotiis tenendam, qualia mentis facultates probe exerceant, et vanas curas fugent. Ubi salus est victus, et e labore animi aut corporis, et negotiis hic pendet, tunc morbus cito finietur: cujus rei documento sint turbæ et bella quæ Scotiam anno MDCCXLV agitarunt, quo tempore rarissima extitit hysteria. Interdum morbus omnem peritiam summorum medicorum ex toto fallit; accessiones crebræ redeunt e noxis tenuissimis cientibus, adeo ut si qua laborat, altera conspiciens illico vellatur. In hujusmodi exemplis, haud alienum foret timorem arcessere, qui, animi attentionem distrahendo, morbum præcaveret.

Quando hysteria, præ facultate imitandi insita, ex alia ad aliam transit, adeo subita est accessio, ut vix ulli arti sit prævenienda, fœminam icens, ut Jovis fulmen. Falconer

meminit, quadam apud ædes sacras accessionem hystericam experta, statim fere sex alias exinde in eandem incidisse; quarum nonnullæ nunquam ante laboraverant. Hinc patet quam maxime ægras solitarias habendas, neque in valetudinaria accipiendas; quippe quæ cum aliis natura ad morbum paulo proclivioribus eum communicare possunt. Hodierni profecto, quoties hystericæ in valetudinaria recipiuntur, ab aliis ægrotantibus, quantum fieri potest, eas sejungunt

Hæc valetudo, si genus nervorum sensilius et fibræ magis irritabiles forent, ægræ arbitrio accedere aut quiescere habetur: ista *sensibilitas* hodierna spuria, quam fabulæ fictæ tantum fovent, certe proclivitatem adauget. Gregory noster, ni fallor, inter prælegendum narrat quandam, quoties voluit, accessiones arcessivisse, et easdem expectantem sedere solitam esse.

Melancholia.—In hoc morbo princeps consilium est miseri animum a malis contem-

plandis abstrahere; quæ fere consuerunt esse timor rei caræ et expetendæ amissæ: hic igitur animus summa peritia et prudentia regendus. Melancholicis enim displicetur, si amici et adstantes, quomodo mens sibi se habeat intelligant: maximique æstimare solent suam solertiam et aciem ingenii; simul omnia oblectamenta quæ non suæ voluntati et animo conveniunt, contemnere et nihili habere: porro convivia et hominum societatem pervicaces oderunt, et cultum et observantiam in alienos levissima, in ipsos contemptum esse judicant.

Varia auxilia adhibentur ad hoc vitium mentis excutiendum; at cavendum ne, consilio patefacto, nil proficiant. Migrare, ut Van Swieten opinatur, utilissimum est: quippe quod continua rerum et locorum mutatione animos asperos emollit, languentes roborat, mœstos hilarat, neque incommodum mox dictum habet. Oportet ratio itineris studiis, voluntati et ingenio ægroti accommodetur. Ista peteret loca, unde antea maxima commoda et utilita-

tes acceperat; quod certe animos plurimum suscitabit. Van Swieten perhibet studiosos literarum hoc malo correptos loca consueta ad idem exuendum petere noluisse, sed sese ad academiæ sacras ædes et *bibliothecas* recepisse.

Quibus vero ex aliqua causa migrare non licet, amicis et necessariis, blandoque sermone suis studiis accommodato ultro citroque habito, semet reficiant et oblectent. Mercator de republica, literis deditus de philosophia, agricola de rebus rusticis cum amicis loquantur, quisque pro sua voluntate.

Ludi, spectacula, et oblectamenta omnia utilissima sunt; at vero ætati, sexui, vivendi rationi, &c. aptari debent. Juveni igitur scena, saltatio, venatio proderunt; seni commercium cum senibus, et oblectamenta quæ senectuti conveniunt.

Pari ratione, excitandi sunt illi motus animi qui ejus torpori obnituntur: timidis animi

fortitudo est incutienda; mœstis jucunditas et gaudium; irritabiles et pervicaces idonea habena sunt regendi et compescendi: neque tamen acrius studio ægroti repugnandum; id enim irritat, et ægritudinem animi exasperat: leniter trahendum, non pellendum. Dulces nervorum concentus, inter omnes scriptores veteres et recentiores, jure magni habentur: mirum in modum, animos asperos molliunt, elatos sedant, sedatos efferunt, et pro mentis habitu sunt mutandi.

Mania.—Quæ supra disserui, hic magna ex parte conveniunt: in mania vero oportet menti quandam formidinem et venerationem in adstantes et ministros incutere; quod contra decet in melancholia: maniaci singulis fere studiis et desideriis obtandum; quod animi turbas quodammodo minuendo, est summi momenti: eo magis quod maniaci timidi sunt, sub magna virium et ferocitatis specie.

Ista remedia graviora, quæ præcepit Boer-

haave, morbo inveterascente, utenda; qualia sunt, immergere mari maniacum, neque eripere dum fere stranguletur: si qua de causa id non liceat, juvabit aquam frigidam nescienti affundere, ad instar imbris; testatus sum quendam, cæteris auxiliis ineptis, inde convaluisse.

Scorbutus.—Animo plurimum usi sunt medici antiqui et nuperi ad huic malo medendum. Veteres, qui semper acerrimo studio omnia signa morborum et eorundem curationem prosecuti sunt, languor animi hujus valetudinis proprius latere non poterat; facile enim intelligebant quam cito spe salutis excitata, et loco mutato, ægri convaluerint. Neque ignorare poterant quantum discriminis intulerint animi languentes et depressi, morbum recentiorem augentes, provectiorem celeri morte mutantes; unde facile medendi rationem traxerunt. Neque vero animo proprie opitulati sunt; et nimium medicamentis sumptis confisi fuisse videntur. Primum extitit exemplum quod pro

certo innotescit scriptis mandatum animi *, in hoc morbo curati, quando inter obsidionem urbis Bredæ anno MDCXXV erupit inter urbanos et milites.

Multa olim existimata vi propria vel *specifica* scorbuto medendi pollere, jam diu obsoleverunt : quædam ex iis certe profuerunt, at potius fiduciam conciliando, quam aliqua propria facultate.

Icterus.—Jam antea perhibuimus motus animi interdum jecur inflammare : quod si ita se habeat, nemo, ut opinor, denegabit, quin iidem spasmum cierent, vasa absorbentia excitarent, eoque icterum progignerent. Usus fere quotidianus hoc docet; et nulla præterea noxa omnino adhibita, graviter irati, aliasve animum agitati, in icterum statum incidunt : idque præsertim in terris sole ardente torridis, quarum incolæ ad jecinoris vitia sunt propensio-

* Vide Lind on the Scurvy.

res; quid medicum hic facere oporteat adeo manifestum est, ut amplo sermone non egeat.

Nostalgia.—Inter omnes orbis terrarum gentes, in omnibus terris, qualecunque sit cœlum, quomodocunque respublica geratur, desiderium solum patrium revisendi omnibus mortalibus naturæ almæ, et sapiente, consilio innascitur et inscribitur. Si hoc desiderium paulo vehementius sit, neque expleri posse videatur, morbus constituitur, cui nomen apud medicos Nostalgia; res levissimæ absentem patriæ admonent, qui semper redire cupit.

Inter Helvetios, qui maxime omnium huic morbo subjiciuntur, musice mirum modum valet, præsertim suæ patriæ propria, ad cupidinem domum redeundi suscitandum: adeo ut in exercitu Gallico pœnas capitis luerint, qui ista musice uterentur *. Admonuit enim

---

* "Cet air, si cheri des Suisses, qu'il fut defendu sous "peine de mort de le jouer dans leurs troupes, parce qu'il

viros fortes et miseros conjugum, liberorum, agrorum, amicorum ; lachrymas amaras profuderunt, animo volventes quot dies felices egerant, procul a servitiis et tyrannis : multi succubuerunt. Neque tamen hæc sola causa est nostalgiæ ; Sauvages enim testatur se in Helvetia mendicorum liberos domus expertes eadem languentes, pariter atque divites, conspexisse. Nihil valent medicamenta : ægro domum redeundum : certeve spes aliquando redeundi fovenda et incutienda.

" faisoit fondre en larme, desertir, ou mourir ceux qui l'en-
" tendoient, tant il excitoit en eux l'ardent desir de revoir
" leur pays."

Rousseau, Diction. de Musique.

FINIS.